



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1656

§. 63. Amen dico vobis quod iam non bibam de genimine vitis vsque in diem illum cum illud bibam nouum in regno Dei. v. 25.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

§. 63. Amen dico vobis quod iam non bibam de genimine vitis vsque in diem illum cum illud bibam novum in regno Dei. v. 25.

Ut excitaret ulterius ad audiendum se & credendum, quæ dicturus erat, præmittit hic verbum. Amen in signum certitudinis verborum suorum, quod ab illa hora qua cum discipulis suis communicavit in Corpore & sanguine suo sub speciebus panis & vini, non amplius bibiturus sit vinum de vite etiam in summis suis angustijs, sudoribus, agonijs, & morte; quod verificatum est; nam aceto potatus est in extrema agonia in Cruce, & myrrharum vinum cum dare debebant Iudæi fellis potum ei obtulerunt: post resurrectionem vero cum discipulis comedit ut clare docet scriptura, ad ostendendum, quod idem ipse esset qui passus est, at quando biberit novum vinum, vel genimen vitis, non ita clare videmus, nisi dicamus tunc eum bibisse quando Apostoli Liturgiam seu Missam faciendo biberant vice Christi, cuius vice sacrificabant, & ideo novum, hoc est novo quodam modo, ut pote alieno ore.

Domine, quam ubique temperans fuisti ad nostram doctrinam in verbis, factis, cibo, potu, ante mortem, in morte, post mortem! erubesco ante te mente reuoluens modestiam tuam, & temperiem, meam vero intemperantiam & vitia tuis virtutibus opposita; Ego cum imminet ieiunium, præmitto Bacchanalia; cum est laborandum, me præmunio largo haustu: ut autem contra renuntias genimini vitis & non vis bibere modicum instante tam graui passione. Sanctus Deus, Sanctus & fortis miserere mei.

§. 64. Et hymno dicto. v. 26.

Post salubrem cenam & multa documenta Apostolis data in fine cenæ surrexit Christus, & oravit Hymnum Trium puerorum, ut habet Ecclesiæ Catholice traditio Sacerdotalis, quæ vero Apostolis prolixè commendauerit, dixeritque, copiose S: Ioannes capite 14. 15, 16. & 17. quæ si singulatim essent enarranda, omnino magnum exigerent Tractatum, summa eorum est, ut fortes sint discipuli, & prudentes, & maxime ut inter ipsos regnet caritas, ad quæ obinenda, Deo patri eosdem commendat. Egit ista Dominus post cenam: Illud enim tempus est quo maxime lingua in omne vitiorum genus fertur, effranis ac præceps, cum animus vino incaluit, cum epulis mens grauis velut sopitus auriga demissis habenis linguam patitur exorbitare qua velit. Ad conuiuialia igitur colloquia suo sermone moderanda Christus & tam diu locutus est, & loqui Apostolos suos docuit; & in ipsis omnes eorum posteros, edocere, intendit; laudabiliter igitur